

// עמר // עשור

# ORATIO CURIOSA,

*Quam*  
DE

MIRABILI QVODAM HOMUN-  
CULO, NON ITA PRIDEM IN HOL-  
SATIA VISO, ALIISQVE REBUS ADMI-  
RANDIS,

Ad d. XII. Maji Ao. 1683.

IN AUDITORIO MAJORI  
publicè habebit  
*testis oculatus*

ANDREAS WOLGANG AMANDERNENDE,  
Philosoph, & Ebrae Lingv. Prof, P. Ord.



FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
LITERIS CHRISTOPHORI ZEITLERI.

Hist. Holsat.  
108, 8

*Sax. Inf. Vol. 1. Holsat. 8.*



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO

FRIDERICO  
VVILHELMO,

D.G. Marchioni Brandenburgensi, S. Ro-  
manorum Imperii Archi - Camerario & Principi Electori,  
Prusliæ, Magdeburgi, Julix, Clivix, Montium, Stetini, Po-  
meraniæ, Casubiorum, Vandalorumque, nec non in Silesia,  
Crosnæ & Carnoviæ Duci: Burggravio Norinbergensi: Prin-  
cipi Halberstadii, Mindæ & Camini: Comiti Marca &  
Ravensbergi, Domino in Ravenstein, Lauen-  
burg & Büttau,

&c. &c.

PRINCIPI OPTIMO, FELICISSIMO, PISSIMO  
& MAXIME VICTORIOSO, PATRIÆ MEÆ PATRI  
& CONSERVATORI,

*Quem*

In Ecclesiæ Christianæ & totius Marchiæ præsidium  
Natura Solers genuit:  
Divina Providentia à teneris servavit,  
Virtus & Bellona educavit,  
Fortuna provexit,  
Rerum gestarum magnitudo & Fama immortalem red-  
didit.

HEROI INCOMPARABILI & INVICTISSIMO,

*Domino suo Clementissimo & Benignissimo,*

Levem hanc & tanto PRINCIPE non satis dignam, fidei, obedientiæ  
& ardentis pietatis, inprimis grati animi tesseram humillime  
dicat consecratqve

*Serenitatis Electoral.*

*Devotissimus & fidelissimus Client & Comes*

ANDR. VVOLGANG AMANDERNENDE.





MAGNIFICE DOMINE RECTOR,  
PERILLUSTRIS & GENEROSE DOMINE COMES,  
PROCERES UNIVERSITATIS EXCELLENTISSIMI,  
FAUTORES OMNIUM ORDINUM  
DIGNISSIMI,

ET QUÆ AD HUNC ACTUM CONVENISTI,  
OPTIMIS VIRTUTIBUS INSTRUCTA, JUVENTUTIS  
CORONA NOBILISSIMA.



Non inique fortassis  
mundum hunc vastum aliquod  
Theatrum, & illustrem scenam  
dixero; in quam Universi parens  
DEUS, & natura mater, omnis ge-  
neris Spectacula quotidie produ-  
cit. Sive enim, qui supra hanc  
caliginem in qua volutamur, DEI enarrant gloriam,  
cælos, sive terrarum orbem angustum, & velustum,  
vel rigentem aspiciamus; Solem non solum quotidia-  
no suo cursu, diei noctisque tempora signantem, sidera  
diversas agentia vias, & nocturnam lunæ successio-  
nem videmus; sed præter quotidiana illa (quamvis  
admiratione digna sint) aliarum quoque rerum in-  
solitarum Spectacula se nobis ostendunt. Jam enim  
cæli ipsius fit hiatus, quod vocant chasma: Jam san-  
gvinea species, & (quo nihil terribilius mortalium  
timori) incendium ad terras decidit. Mox ignis  
globus præ rapidâ celeritate per aëra projicitur; ca-  
pra,

Psal. 19.  
com. 1.

Sen. lib. 1.  
Nat. quæst.

Plin. lib. 2.  
cap. 26. &  
27.

Job. 1.  
cap. 1.  
v. 13.

A

pra,



Senec. l. 1. Nat. quæ-  
 stion. pra, trabs, ardor, clypeus ab occasu ad ortum trans-  
 currens, & quales in arcu esse solent, circa solem va-  
 rii coloris circuli conspiciuntur. Cum satiatus cœ-  
 lestis theatri spectaculo in mortalium terminos & a-  
 renam hanc dejeceris oculos, alia te rerum forma  
 Idem exA- ristolotele caprâ vo-  
 cat genus  
 quoddam  
 ignis, quæ  
 aër trans-  
 versum a-  
 git. Sed  
 quare ca-  
 pra dica-  
 tur, ipse nō  
 exponit.  
 Sunt qui  
 putant, sic  
 dici à bar-  
 bula, quâ  
 pendentē  
 flamma  
 præfert,  
 vel quia ut  
 capra sal-  
 tat, & locū  
 mutat.  
 \*Cic. lib. 1. de Divin.  
 †Cic. lib. 5. Tusc.  
 Plin. lib. 9. cap. 3.  
 Curt. lib. 4.  
 Psal. 104.  
 Sirach. Ec-  
 clef. 4. 27.  
 Rondel.  
 de Balæna.  
 Plin. lib. 9.

excipiet aliter mirabilis. Neque enim camporum  
 solum \*æquora patentia, fusam planitiem, montes  
 jugis magnis surgentes, rivorum lenes inter prata  
 discursus, amœnos sinus, & quæ interventu suo ma-  
 ria distinguunt, sparsas per vastum insulas videbis;  
 sed innumeras etiam animalium species, aliis notis  
 vocibusque insignes, & ipse terrarum orbis, & vastum  
 illud spatiosumque mare, tibi ostendet. † Alias enim  
 bestias nantes, aquarum incolas esse, mater Natura  
 voluit, alias volucres cœlo frui libero, serpentes  
 quasdam, quasdam gradientes. Unde quorsumcun-  
 que divagari volueris, vasti hujus Theatri spectacula  
 tibi occurrent animumque delectabunt. Si ad æquo-  
 ra, ad Amnes, Gangem, Nilum, stagnaque, & quod ab  
 ultimis Septemtrionis littoribus ad Indos jacet, ma-  
 gnum pelagus accesseris, complures beluas, terrestri-  
 bus majores, cum semper, tum imprimis circa solsti-  
 tia animadvertes. Earum alias diverberare fluctus  
 & semet allevare, alias rursus se alto immergere &  
 jam super undas eminere, jam superfusis fluctibus se  
 abscondere videbis. Mare enim (ut Psaltes Regius  
 loquitur) magnum est & spatiosum, ubi reptilia sine  
 numero, animalia parva cum magnis, i. e. ut inter-  
 pretatur Sirachides ποιμίλια παντός ζώου. Hic conspicias  
 amias cum thynnibus gregatim ad dulciora pabula in  
 pontum intrare cum suis ducibus. Videbis Pho-  
 cas quadrupedes, ingentis columnæ modo se attol-  
 lere, & inter fluctus maris aberrare. Audies balæ-  
 nas, dum vel gravidæ, Orcarum lancinantur morfu,  
 vel



vel vitulos suos toto defendunt oceano, magno & contento sono boare & mugire. Audies delphinos, velocissima animalia, ocyora volucre, ocyora telo, humano gemitu & lamentatione, imo magna lacrumarum vi conditionem suam deplorare. <sup>a</sup> Spectabis eos uberibus lactare partus suos, & extinctis morbo alumnis, tristes, mœrentiq; similes cibo abstine- re & tandem desiderio exspirare. <sup>b</sup> Si in nemora lu- cosque, vel vastas nudasque solitudines penetrave- ris, multorum animalium varios sonos, distinctis proprietatibus admirandos intelliges. Audies Leo- num indignatos fremores rugitusque; taurorum, graves mugitus: Luporum acutos ululatus, equorum hinnitus hilares, Elephantum tristes barritus; Avium instigatos angores, turturum gemitus, ceterasq; ani- malium voces, quas vel infesta rabies vel propitia voluptas ciet. Videbis quibusdam intellectum esse patrii sermonis & imperiorum obedientiam: Aliis re- ligionem siderum, solisque ac lunæ venerationem. Spectabis alia immani feritate sævire: Alia in sup- plices summa clementia uti. Alia gregatim ambu- lare, alia solivaga esse. Alia tota vi consurgere in- prædam: Alia esse innoxia. Quædam acerrimo cur- su ferri, quædam tam lente incedere ut <sup>c</sup> quindecim dierum spatium vix ad lapidis jactum promoveantur. Alia sermonem humanum assimulare & eorum, quos laceratura sunt, nomina addiscere: alia <sup>d</sup> vultu, pedi- bus cruribusq; imo & sagacitate, industria & provi- dentia hominem æmulari. Et hæc quidem omnia

Solin. c. 12.  
Plin lib. 9.  
pro voce  
Delphino  
gemitus  
humano  
similis.

Vincent,  
lib. 16. c. 38,  
Petro Gill,  
& alii.

Apul. Flor.  
lib. 3.

Spartianus  
de Geta  
Imperato-  
re.

Hoc Plini-  
us de Ele-  
phantis  
affirmat l.  
8. c. 1.

Tigrides  
Leones ..

Mures  
montani,  
Ebræis

שפנים

dicti: quos  
perperam  
bibliorum  
interpre-  
tes pro cu-  
niculis ha-  
bent: Lev.  
11. com. 5.  
Psalm. 104  
com. 18.

A 2

æter-

<sup>a</sup> Thren. cap. 4. c. 3. גַּם תִּנִּין חֲלָצוּ שֶׁר הַנִּיקוּ גּוּרִיָּהֵן <sup>b</sup> Phil. lib. 3. c. 20.

τὰ κήτη ὄιον δελφίς, καὶ φάκη καὶ φάλανα μαστὶς ἔχει καὶ γάλα.

Vid. Scalig. Exercit. 404. S. 10. Philostratum Apollon. sui lib. 2. c. 7. Por-

tam Coeli fol. 34. c. והלכים אחרירה (גורירה:) זמן רב כי

אהבת אותם יותר מכל מיני הדגים:

<sup>c</sup> Ignavus minor.

<sup>d</sup> Su sive Succarath, & Ourang outang Animal Indiæ peculiare.



æternus omnium genitor, ipse non genitus, opifex  
 & causa mundi, in propatulo & illustri monumento  
 ponere, & omnium oculis mentibusq; commendare  
 voluit, ut curiosi spectatores singula excutiant & to-  
 ta mente ad Creatorem, communemq; DEUM con-  
 surgant. Neq; enim Choragus ille & magister DEUS,  
 qui templa sibi & aras penetralibus initiatorum men-  
 tibus condidit, malorum bonorumque nostrorum  
 observator & custos, temere tot bonitatis & poten-  
 tiæ suæ documenta produxit. Quin potius huma-  
 num genus ad muta animalia, quasi ad Magistros,  
 non voce, sed exemplo docentes remittere, & tam  
 cœtu astrorum, quibus immensi corporis pulchritu-  
 do distinguitur, quam viventium naturâ & ingenio<sup>a</sup>  
 ad virtutem erudire voluerit. Hinc videas DEUM,  
 sapissime rebellem & refractariam Judæorum gen-  
 tem vel ad *b* volucres cœli, vel ad reliqua animantia  
 relegare, nempe ut inde sibi, quod imiteretur capiat.  
 Pigros sane ad *c* formicarum gregem, quæ in angusto  
 calle fervent, & onera majora quam corpora geitant,  
 Regum

*a*) Teste Cassiodoro & Philostrato, Mercurius & Palamædes Grues pro Magistris ha-  
 buerunt. Apud Ægyptios Grus vigilans, hominem cautum significabat, ut  
 Horus testatur. Et τὸ κῶβερνῆταικόν mortales ab avibus didicisse memo-  
 riæ prodidit Ælian. lib. 9. cap. 10. Histor.

*b* Jerem. 8. com. 7. גם חסירה בשמים ידעה מועדיה ותור וסיס ועגור  
 שמרו אחתעה כאנה:

*c* De formicarum sedulitate vid. Hieronym. in Vita Malach. Ælian. lib. 4. cap. 45.  
 Hist. Aristot. lib. 9. c. 38. Hist. D. Chrysof. Orat. polit. in Concione. Ho-  
 rat. Sat. 1. ubi ait:

*Parvula nam exemplo est magni formica laboris  
 Ore trahit quodcumq; potest atq; addit acervo  
 Quem struit baud ignara ac non incauta futuri.*

Vid. etiam Juvenal. Sat. 6. Alhazuiniū Arabem apud Bochart. Ælian. lib.  
 5. cap. 49. Ubi ait formicis etiam hoc à sapientissima natura inditum, ut  
 mortuorum elationis curam gerant, & latibula cadaveribus purgent. Ad-  
 dit lib. 6. c. 43. Mortuas formicas necessarij granorum folliculis condunt.  
 Vid. Tzet. in Hesiodum, Epiphan. in Physiolog. Rabb. Levi. Eustath. in  
 Hexacm. Arabes certe in pueri nascentis manum formicam reponere sole-  
 bant, precatione solenni additâ, Exeat is ingeniosus & solers.



Regum sapientissimus his verbis abire jubet. Vade ad formicam, inquit, ô piger, aspice vias ejus & sape. Cum ducem non habeat, præfectum, aut dominatorem, comparat æstate cibum suum, colligit in messe escam suam. Nec secus Christus servator noster, quo hominum cogitationes à terrenis sordibus & curis ad cœlestis Patriæ contemplationem regiâ quadam viâ duceret, ad corvos cœli & agri lilia, quæ nec colunt nec fatigantur, discipulos ablegat.

Luc. 12.  
com. 24.

Ceterum licet Arbiter & Architectus Universi, DEUS, ita consilio suo huic mundo providerit, ut, quicquid humanis oculis mentibusq; subjicitur, ad numinis ubiq; præsentis venerationem extra leges moresq; projectos reducere possit, sæpe tamen præter quotidiana opera, nova in cœlis, terris & maribus spectacula producit. Quippe novit ille æternus, per omnia æquali intentione diffusus spiritus, solita parum commovere, nec altius descendere, quicquid vel usus vel quotidiana rerum vicissitudo ostendit. Magnitudinem enim rerum (ut prudenter Annæus Seneca loquitur) subducit consuetudo, & maximis etiam, si quotidie videntur, perit admiratio. Sol certe luminum Dux & Moderator, nisi defecerit, spectatorem non habebit, nec luna, tenebrarum fax, nisi cum laboraverit, observabitur. Securè mortales occasus siderum atque ortus, totamq; naturam aspectant. Verum ubi vel novum aliquod è cœlo miraculum fulget, vel aër spissus, aut abortiens tellus, aut ipse oceanus inusitata figuræ corpora, humanis oculis raro obvia, profert, urbes conclamant, populus convocatur, & pro se quisque vanâ trepidat superstitione. Unde quoad longissimè poteris respicere spatia præteriti temporis, & seculi memoriam recordari ultimam, DEUM videas, non ex vatis cujusdam

Lib. 7. Nat.  
quæst.

Epiet. Al-  
tercat. Ha-  
drian.

B

dam



dam domo, sed ex medio mundi conventu, populos gentesq; damnaturam vocem misisse & novi spectaculi exhibitione terruisse mortales. Nullam aliam ob causam, quam ut genus humanum quadam religionis suspicione percuteret, & resipiscentiam perditis mortalibus proponeret imo & imponeret. Ante sane, quam extremum pelagus & abyssi fontes in terram, hominum incestibus pollutam exurgeret, & crebri sine intermissione imbres immensam illam, vim aquarum ruptis nubibus devolverent in terram, Cometa, sanguineo crine horrens, & comarum modo in vertice hispidus, in piscium signo sub Jove apparuit. Et prius, quam Sodomæ & Gommorræ crimina nefanda sulphureo igne vindicaret cœleste numen, tristes in cœlo faces ardebant, cumq; scelerum fama ad Deum ascenderet, pestiferi luminis & exitium Cometarum radii in urbes peccato inquinatas descendebant. Sed & Pharaoni, male morigeri Regi, cum turpissimâ cavillatione DEI minas usq; deq; haberet, decem plagas, Regni vastitatem & indignam mortem, lentus ad iram DEUS, stella crinitâ significavit. Ut de Babyloniis, Carthaginiensibus, Gentium terrore Xerxe, Annibale, Cæsare, & quos cœlesti ostento & truculentis tædis hortatus est DEUS, aliis terrarum Dominatoribus nihil dicam, hoc tantum perstringam, quod ne infantissimus quidem, nisi idem impiissimus, eminens per famam, & multorum monumentis testatum supprimeret. Scilicet DEUM, cum post maturam pœnarum cunctationem, Gentis Judaicæ politiam per Barbarorum copias everfurus esset, & Urbem sanctam, tot Regum & Prophetarum sedem patriamq;, in solitudinem vellet redigere, minaci & cruento Cometâ, qui per utrumq; tempus omnium oculis per annum custodiebatur, futuras clades

Gen. 7.

Nagelius  
von dem  
Cometen  
Ao. 1619.  
Eckstorm.  
ex Herlic.

Nagelius  
ibid.

Gen. c. 18.

Nagelius  
d. l.  
Eckstorm.  
Peucerus  
Meteorol.

Justin. lib.  
3. c. 1.

Aufon.  
Grat. act.  
ad Grat.

Astedius.  
Josephus l.  
5. cap. 15. B.  
Judaic.



clades, incendia & afflictam Judæorum conditionem  
nunciavisse. Quas vero literas nostra ætate cœli  
Libro, unde de plano legi potuerunt, DEI manus in-  
scripserit, omnes annales loqvuntur. Anno 1618. stel-  
la Cometes in Scorpionis sidere ita luxit ut cœlum,  
omne conflagrare videretur; Neq; solum omen post  
se traxit futuri sanguinis, sed multis etiam viris Prin-  
cipibus, inprimis vero JOHANNI SIGISMUNDO ELE-  
CTORI BRANDENBURGICO, Pio, Felici & Indulgentis-  
simo fatalis fuit. Ejusdem seculi Anno 64. & 65.  
sævus iterum Cometa ad Cœlestem corvum ortus  
est, qui horis matutinis comatus, in Eridano fluvio,  
tempore vespertino Crinitus, in Balæna vero cau-  
datus apparuit. Nec vero ex animo nostro tristi-  
oris illius spectaculi memoria recessit, quod non ita  
pridem toti Europæ illuxit. Quippe & nostro ævo si-  
dus crinitum horribile, mole maximum, supra Satur-  
num elatum, per longum temporis tractum, in re-  
gione cœli, quæ ad Arcticum vergit, conspectum est.  
Id oriebatur, uti constat, nostris Athenis XVto Ca-  
lend. Januarii, Anno millesimo sexcentesimo octo-  
gesimo, in Aquila cœlesti: Unde progressum per  
lucidam Aquilæ, per septimam cœli Domum, ipsum  
Delphinum, & Pegasi caput iter faciebat, tandemque  
Idibus Januarii ad Andromedæ cingulum stabat atq;  
extingvebatur. Quos rerum eventus, quæve fata,  
post se tracturum sit, illi est notum cui uni nihil est  
ignotum, cui obscura clarent & natura sine voce re-  
spondet. Sed quid cœlestia, & ab humanis sensibus  
remotissima templa speculamur? Quid ad tristia in  
excelsis spectacula capimus prospectum, aut quor-  
sum abripimur? In communem Patriam, terram sci-  
licet, descendamus, quam non barbarus vel Scytha,  
minus, quam Græcus hæreditatem vocat. Descenda-

Calvisius,  
Ceplerus.  
Theatrum  
Europ. St.  
Lubienic.



mus inquam in scenam hanc, Theatri mundani al-  
 teram, & quæ ibidem spectacula se nostris oculis a-  
 nimisq; offerant videamus. Ingens se hic Scenico-  
 rum grex & Chironomorum cum Thymelicis nume-  
 rus ostendit, qui omnes impositas sibi personas ex  
 omnipotentis DEI voto & sententiâ agunt. Ut,  
 quæ vel circa Indiæ extremitates, circa Libyam aut  
 Arabiæ deserta gignuntur, varia animalium genera  
 & monstriferas effigies taceam, solius tantum homi-  
 nis in præsentem edam spectaculum. Qui, uti reliquis  
 animantibus jure meritoque est præferendus, cum  
 quia ad imaginem DEI est conditus, tum quia in fra-  
 gili & caduco corpore, animam immortalem, chara-  
 cterem divinitatis circumfert, ita princeps etiam,  
 prodire & Plautini Jovis instar spectatorum oculis se  
 debet sistere. In hoc autem tanta deprehenditur,  
 cum morum & animorum diversitas, tum vultus &  
 lineamentorum inæqualitas ac dissimilitudo, ut, cum  
 in reliquis animantium generibus alia ab aliis nihil  
 differant, homo alter ab altero, toto quod a jure cœ-  
 lo distingvatur. Quippe constans fama est, multo-  
 rum testimonio comprobata, degere in quibusdam  
 Indiæ montibus, homines capitibus caninis, ab hu-  
 mano ritu prorsus exulantes, qui ferarum pellibus in-  
 duti, pro voce latratum edant, & nec sermone nec  
 aliis humanitatis notis distingvantur. Ferunt etiam  
 ab orientis parte intimâ, gentes esse sine naribus, æ-  
 quali totius oris planitie; Alias (ut Plinii verba mea  
 faciam) superiore labro orbas, alias sine lingvis, quas-  
 dam ore esse concreto, & naribus carere, quasdam  
 uno tantum foramine spirare. In Æthiopiæ arenis  
 & sterili solitudine, Arthabitæ populi habitant, qui  
 proni atq; quadrupedes, non secus ac feræ sine sedi-  
 bus vagantur. Hi certo anni tempore locustas le-  
 gere,

Ulpian. in  
 l. Athletar.  
 4. ff. de his  
 qui notant  
 infam.  
 Simpl. &  
 Arrianus in  
 Epictet.

Stengel. l.  
 de Monstr.  
 Torreb-  
 blanc. l. 2.  
 disquisit.  
 Magic.  
 Majol. in  
 Dial. Can.  
 Coll. 2.  
 Photius in  
 Biblio.  
 Plin. lib. 7.  
 Solin. c. 43.  
 Aug. lib. de  
 C. D. 9.  
 Agellius.  
 Ælian. l. 10.  
 Plinius l. 6.  
 Salm. c. 65.  
 Jac. Bontius  
 lib. 5.  
 Hist. nat.  
 & Med.



gere solent, quas falsugine duratas solas in miseræ vitæ præsidium custodiunt. Ad Imaum Indiæ montem, qui ad Gangis usq; fontes porrigitur, Regio esse perhibetur, Abarimon nomine, in qua sylvestres vivunt homines, aversis post crura plantis, eximiæ velocitatis; hirti corpore, caninis dentibus & stridore terrifico. Ne Anthropophagos, osibus humanorum capitum bibentes, commemorem (parum dictu) sed immensum æstimatione eloquar: Inveniuntur homines, (Blemmyis nomen est) quibus capita deesse dicuntur, ore & oculis pectori affixis. Hos Augustus ille Augustinus seculi sui & Ecclesiæ Christianæ ornamentum, se vidisse autumat, dum sermone 37mo ad Fratres in Eremo constitutos, his verbis loquitur. *Ecce ego, inquit, jam Episcopus Hipponensis eram, & cum quibusdam servis Christi ad Æthiopi- am perrexi, ut eis sanctum Christi Evangelium predicarem. Et vidimus ibi (horrendum dictu) multos homines ac mulieres capita non habentes, sed oculos grossos fixos in pectore.* Phanesiorum genti, uti & Moluccarum insularum habitatoribus, aures in effulam magnitudinem ita dilatantur, ut reliqua viscera facile contegant. Præ reliquis Atlantes <sup>b</sup> illi Africani, ad Nili undas incolentes, non corporis quidem figurâ insolitâ, sed ritus & vitæ asperitate sunt admirandi. Hi degeneres humanæ consuetudinis, nec somnia vident nec ullo nomine proprio censentur. Solem, Lucis Deum, ut apud ipsos ortus est, dirarum adventitia excipiunt, & simul usti torrentis plagæ fidere,

Plinius, & ex Herodoto Me- la.

C

quo

<sup>a</sup> NB. Non me fallit quidem, Oleario, Persici Itineris mensori celeberrimo, suspectam esse Antiquitatis fidem, & sibi aliisq; persuadere, non naturam, sed vestium morem, locum fabulæ ac miraculo dedisse. At quis crederet Olearium acie oculorum superasse Augustinum, & Æthiopes humeros & brachia velamentis & tiaris tegere.

<sup>b</sup> Cl. Salmasius in Solin. cap. 31. eos non Atlantes sed Atarantes nominandos autumat.



Apud  
Schott.  
Ph. curios.  
lib. 3.

Plin. lib. 7.

quo tuti sint ab æstu, in paludes confugiunt. Horum & Jobus\*, exemplum illud patientiæ quæ humanam fidem superat, libri sui cap. 3. com. 7. meminit, dum lamentabili voce ait: Maledicant (*nocti in qua natus sum*) illi qui maledicunt diei, i. e. soli, & parati sunt excitare Leviathan. Fuisse Gigantes in terrorem genitos, præter sacram paginam multosque scriptores profanos, Thomas Fazellus commemorat, qui giganteæ magnitudinis exhibet exemplum, cui comparari non potest aliud. Sed non tantum in fabricandis tantæ molis corporibus sagacissima natura fuit occupata, sed & in producendis nanis & pygmæis virtutem suam & acumen ostendit. Ut haud facile sit dijudicare, majorne gloria tantæ Magistræ ob formationem majorum corporum, quam ob miracula, quæ in minoribus edidit, sit attribuenda. Non minor sane laus ab universa Antiquitate Myrmecidi, qui oculorum acie excellens, navem quam apicula pinnis absconderet, est fabricatus, quam magno illi Argus architecto attribuitur. Admiranda itaque & illorum Pygmæorum gens est, quæ ad paludes Ægypto superiores, ad Australem Oceanum & Nili fontes inhabitat, in quâ maximæ staturæ homo, duorum cubitorum, minoris vero, unius cubiti longitudinem non excedit. Nec est quod nobis persvadeamus, Auditores, aniles fabulas sub veritatis schemate generi humano obtrudi. Siquidem rem tantam, qui fide sunt dignissimi, insignis doctrinæ & pietatis viri promiscue affirmant, & confirmant.

E mul-

\* יקברו אררי יום העתידים ערר לריתן: Recte Lutherus: Es verfluchen sie die Verflucher des Tages / die da bereit seyn zu erwecken den Leviathan. Male & nullo sensu Janius & Tremellius. Exsecrati fuissent illam, qui illustant diem & parati sunt excitare Balenam. Nec melius Beza, Kimchius, Saadia, Talmud Jeruschalmi, & Rabbi Schelomo: qui omnes verbum לריתן interpretantur per אכלם luctum suum.



Emultis unum audiamus, reliquorum interpretem,  
& præconem; Aristotelem scilicet, magnum illum  
Alexandri magni Ephorum & Magistrum, qui histo-  
riæ suæ libro 8vo, *Ex Scythicis*, inquit, *oris, grues mi-*  
*grant ad paludes quæ supra Ægyptum sunt, unde pro-*  
*fluit Nilus. In eo loco pygmaei habitant. Neq, enim est*  
*fabula, sed revera, ut ajunt, genus ibi parvum est tam*  
*hominum quam equorum.* Sed cur Æthiopiæ & Ægy-  
pti deserta tento? Cur promontoria, Indiæ montes,  
& ultimæ Africæ oras lego? Cur, inquam, peregrini-  
nis fidem obstringo meam, & ad ignota nobile hoc  
Auditorium relego. An forte una Africa semper  
aliquid novi? aut sola Nabatæa Regna spectacula o-  
stendunt? Minime minime Auditores: & nostra æ-  
tas, nostraq; vicinia tulit rarioris exempli documen-  
tum. Tulit profecto, & Indorum admiranda si non  
superavit saltem æquavit. Quippe non ita pridem,  
Cymbrica Chersonesus, Europæ dedit miraculum, &  
quod tristitiâ aspectus heroibus etiam terribile fuit,  
emisit spectaculum. Quod cum feliciori quodam-  
fato, post anxia desideria, è vasta solitudine ad me  
adductum sit, & egomet oculis lustraverim meis, per-  
tractaverim manibus, rem & orbi & Urbi gratam me  
facturum arbitror, si, quæ in eo portento observavi,  
à vulgatis hominibus multum abhorrentia, & huic  
auditorio, & seræ tradam posteritati. Regum enim  
arcana occultare frugiferum est, (inquit Raphael, iti-  
nerum Tobiaë dux & comes) DEI vero opera enarra-  
re gloriosum. Et quamvis satis intelligam me &  
gravissima vocis verbera & eorum contumelias su-  
stentaturum, quibus vel formicæ, nescio cujus Calli-  
cratis placent, vel blitum est piper, aut fœnum am-  
brosia; superciliosos tamen illos Palæmonis Nepo-  
tes nec curo nec moror. Nisi enim tales salivæ es-  
sent,



sent, quid, Fæciales boni, quid betis ac blitis fieret? Ut Domitianus olim, cum Metium, se ipsum ob formæ pulchritudinem admirantem videret, vellem, inquit, tam formosus esse quam Metius sibi videtur, ego etiam omni voto expeterem, tam eruditus esse, quàm vituperones illi sibi videntur. Non interpolabunt itaq; ardorem meum malæ aves, bubo rudens & grus, quæ recinunt noctivolæ & in claro die lucem desiderant. Inprimis cum sciam & AUGUSTISSIMUM DANIÆ REGEM CHRISTIANUM V., PIUM, FELICEM, & omnes Regni Proceres rem hanc tanti fecisse, ut IPSA REGIA MAJESTAS eam ex me, velut teste oculato audire non dedignata fuerit. Succedat itaq; tandem, quod Deus bene vertat, succedat, inquam, orationis meæ curriculo Homuncio ille parvulus, ante triennium non sine multorum admiratione in Holsatia, visus, qui nominis sui fama non terras solum, sed maria etiam per totam Daniæ, Cimbriæ & Germaniæ, non dicam Europæ longitudinem implevit. De quo dum verba facio, Vos, Auditores omnium Ordinum dignissimi, rogo quæsoq; ita hic lingvis faveatis, ut gratia vestra adjutus, plenis, quod ajunt velis in publico hoc oceano navigare, & Orationem hanc ex voto vestro meoq; absolvere possim.

Nondum in Regnis Septentrionalibus bellicus ignis erat oppresus, nondum late effusa flamma ingenti ardere incendio desierat, cum allatus ex ultimis Fioniæ & Falstriæ oris, rumor quidam de marino monstro, ad finitimas gentes, Cimbro maxime & Jutiæ incolas serperet. Quippe crebri homines agrestes, ad fretum angustius habitantes, aliq; afferbant nuntii, prodigium eventu mirabile circa Hermodas Insulas ad littus maris Balthici, medio die, quotidie apparere, Graves illi, quamvis magnæ rei aucto-



auctores, factâ miraculi fide, variis sermonibus ja-  
ctabant, haud procul à trajectu freti, vulgò die Fährē/  
ex gurgite ponti & mediis fluctibus, non interruptâ  
consuetudine emergere monstrum marinum, huma-  
na formâ atq; staturâ, visu horrendum, cujus extre-  
ma pars corporis in piscem desineret. Alii, ad omnē  
auram mobilis atque infidæ spei homines, proni ad  
nuntiandum, plura vulgabant clamabantq; non in  
maris quidem undis, vel ipso salo, sed in proximis  
sylvis Tritonem latere, & jam ad conchas marinas  
piscandum mare repetere, jam otiosum ad solem in  
littore maris apicari. Nec deerant qui, ut rem cla-  
ram & expectatam facerent, omnia, ( ut fieri solet )  
in majus efferebant; dicentes, monstrum illud non  
unam semper eandemq; figuram retinere, sed mox  
sub specie Tritonis in mari; mox sub figura homin-  
cionis parvuli in littore & sylvis apparere, & mox  
quadrupedis, mox bipedis imaginem gerere. Qui  
reliquis anteferri & præ ceteris veritatis amantes vi-  
deri expetebant, ii tum, sollicitâ multitudine desi-  
derio rei novæ, jactabant in concionibus, spectrum  
dirum per eas solitudines errare, & jam sub specie  
lupi, jam sub schemate venatoris, apri, & feræ bestię  
iter facientibus occurrere. Paucis. Ut quisq; con-  
temptissimus, & maxime ludibrio erat, ita solutissimæ  
lingvæ, & rumori magis quam conscientię erat gra-  
tus. At licet omnia quæ afferebantur absona es-  
sent fidei, & à Poëtarum atq; pictorum portentis ni-  
hil abhorrent, imperitæ tamen multitudini & cre-  
dulis quorundam mentib; tantum incutiebant me-  
tum, ut ultimum vale acclamarent Patriæ, & male-  
ominantes, universi finem eo prodigio significari au-  
tumarent. Quippe sicut Thelmesi in Caria Haru-  
spicum quondam disciplinâ exellebant, ita Dano-  
rum.

D



rum vulgus, portentis quibuscunq̄, inprimis vero, quæ frequentiora sunt, marinis plurimum obtemperat, & ex anticipati temporum pendet mutatione. Non solum itaq̄, præsentium curis miseri agitabantur homines, sed in præteritorum quoque memoriam revocati, earum rerum meminerant, quas vel superius seculum viderat vel ætas majorum. Fama namq̄; est, pueris non minus, quam senibus decrepitis & extrema tangentibus nota; Majorum ætate in Norvvegia, cum tempestas maxima navibus fecisset stragem, & crebros ex alto fluctus in littus evolvisset, marinum monstrum in terram proximam ejectum esse, humana quidem specie sed rusticâ & agresti, capite raso & informi, cujus humeros velamen quoddam cucullo Monachi haud absimile texisset. Narratur etiam aliud miraculum à priori haud multum abhorrens: Scilicet Anno hujus seculi XIX. à CHRISTIANO QVARTO, *Augustissimo & fortissimo Danorum Rege & Heroe*, duos Regni Senatores in Norvvegiam ablegatos esse. Qui, cum leni & tranquillo mari \* tritonem in fundo sali ambulantem vidissent, vocatis in auxilium nautis, arte quadam hominem marinum cepissent. Et illum quidem in navem delatum, piscium more se volutasse in puppi nullam tamen vocem emisisse: donec ex circumfusa Nobilium corona, quidam, summe, dixisset: DEUS quam magna & mirabilia sunt opera tua. Ibi tum ad hunc ferè modum locutum esse Tritonem. Imo vero, inquit, mortalis, si æque scires, qualia sint opera

Rondelet.  
apud Ges-  
nerum.  
Olaus Ma-  
gnus.  
Schott.  
Phyf. cu-  
riosa.  
Wolf. Lect.  
M.

\* De Tritonibus vid. Aristotelem. Plinium. Albertum Magn. Alexandrum ab Alexand. Calvis. in Chronol. ad annum 1403. Zeilerum in *Frauergeschichte*, p. 20. 21. 22. Joh. Phil. Abelin. *Theatr. Europ.* f. 319. Boxhorn. *Th. Holland.* p. 377. Charle de Lepsine dans son *Livre de plusieurs Royaumes & Provinces.* Pet. Mexiæ *Sylvam variarum lection.* Le Comte de Gabalis. Cardanum, Theophrastum. Leonhardum Pioravantum *Phyf. lib. 3. c. 7. Prætorium von wunderbarlichen Menschen.* Et auctores alios.



opera Jehovæ, atque ego scio, utique exclamaturus  
 esses & dicturus; Quam magna sunt opera tua, Do-  
 mine exercituum. Quare nisi extemplò me mari  
 reddideritis, & navis, & qui navigant, nautæ tempe-  
 state & naufragio peribunt. His dictis mœstum si-  
 lentium obtinuisse Tritonem, Senatores vero, vel-  
 ut naufragii metu ictos, hominem in mare abjici jus-  
 sisse. Hæc & alia multa Dani & titubant & cogitatè  
 meditantur. Cum igitur rumor de novo monstro  
 percrebesceret, omnibus repente superstitionibus  
 plebs obnoxia degebat, & religionibus, nescio quibus  
 implebatur. Ætate provecti, quos jam secundæ jam  
 adversæ res erudierant, spectaculum illud in suorum  
 metum vertebant, quasi patriæ triste futurum; Quod  
 nunquam vel balæna mortua, ad littus appulsa, vel  
 visæ Nereides aut Sirenes felix auspiciam Nordal-  
 bingix aut Daniæ dedissent. Sirenes, inquam, quas  
 licet Poëtarum natio, fabulis humanos errores alens,  
 de vero parum sollicita, in scopulis ad littus maris  
 habitare finxit & λιγυρῆ θέλγειν αἰοιδῆ navigantes blando  
 cantu demulcere; rudes tamen artium homines in-  
 ter ipsos fluctus, & stagnantis maris undas colloca-  
 runt. Flexu parvo, Auditores, nec ingrato fortassis,  
 aut procul ab instituto nostro convertar ad Sirenes.  
 Plerisq; eruditorum fabulosum omnino videtur quid-  
 quid antiquitas de Sirenibus habet vanum atq; inane.  
 At Sirenium tamen ipse veritatis auctor & vitæ ver-  
 bum, Scriptura meminit, dum spiritu divino actus  
 Jobus, inter acutissimos dolores queritur dicens, fra-  
 ter fui Draconum, & Sodalis\* יַעֲנֹת יַעֲנֹת i. e. ut inter-  
 pretantur Græci, ipsarum Sirenium. Quas igitur chara-  
 cter ille æternitatis, & cœlestium spirituum sermo, be-  
 noth Jaana vocat, Græci vernaculâ lingvâ σειρήνας dixe-  
 runt.

Sic loqui-  
 tur Plaut.  
 Milit. glo-  
 rios. Act 3.

Job. 30.  
 com. 29.

\* Bath Jaana lugubris est avis, in desertis, procul à mari degens; struthio scilicet.  
 Quibusdam est Noctua, bubo, stryx vel ulula, Fullero Alcyon, avis littorea.



Sirenum  
nomen, si  
vocis ori-  
ginem spe-  
ctes, à Phœ-  
nicum vo-  
cabulo  
שיר Sir,  
quod can-  
tilenam si-  
gnificat,  
est dedu-  
ctum.

\*Cyrill. ad  
Mich. c. 1.  
†Virg. l. 4.  
Georg.

runt. Verum absit ut per Sirenes monstra intelli-  
gamus, quorum superiora sint virginum, inferiora  
passerum vel struthionum. Sirenes teste Cyrillo\*,  
avicularum sunt disertissimæ & maximè canoræ, Al-  
cion scilicet vel lusciniæ: Quarum illa ob nidum à  
fluctibus abreptum lugubre fundit melos, & partus  
sui damna quodammodo lamentatur: Hæc, Phi-  
lomela scilicet, Poëta † teste:

-- -- *Populea mærens -- sub umbra*  
*Amisos queritur fœtus, quos durus Arator*  
*Observans nido implumes detraxit. At illa*  
*Flet noctem, ramoq; sedens miserabile carmen*  
*Integrat, & mæstis late loca questibus implet.*

Sed, quod diei hujus proprium est, ad propositum,  
revertar, & reliqua pergam exequi. Perennis & per-  
pes plebejis hominibus error circa Sirenes marinas  
mansit, quem hætenus nec annorum series, nec tem-  
poris fuga potuit evertere. Unde non solum ho-  
spitem novum eodem Tritonis aut Sirenis nomine  
tituloq; appellabant, sed male etiam sibi posterisque  
ab eo metuebant. Etenim curâ humani ingenii,  
quidnam id esset, quod eo miraculo significaretur,  
agitabant animo, & nec lacrymis temperabant, nec  
vanis sermonibus. Est namque profanum vulgus  
ubivis gentium in superstitiones & aniles fabulas præ-  
ceps, inprimis in iis locis, ubi serius idololatriæ no-  
ctes & caliginem evangelii lux & jubar discussit.  
Quanto propius igitur ad alterum mundi cardinem,  
&, quæ Arctico polo sunt viciniore, hyperboreas re-  
giones accesseris, eò majora veteris necromantiæ, &  
cultus dæmonum vestigia deprehendes. Apud Lap-  
pones maxime, præstigiatores larvarum plenissimos,  
quorum plurimi ipsa deserta & rupibus cælo prope  
immistis, imposita recta sequuntur. Eorum animus

tanto



tanto difficilius Deo subjici potuit, quanto minus DEUM in cogitationibus suis conceperunt. At Danici homines & ipsi Cimbri, uti jam pridem humili pietate humanum mutarunt affectum, & à superborum dæmonum dominatu sunt liberati, ita haud secus quam Piso olim & Gabinus Consules, qui Isidem Serapidemq; cum suo Cynocephalo, Capitolio prohibuerunt, de plebe Deos, & quos Stoici singulis dabant hominibus, Genium & Junonem Regno ejece- runt. Nuntiato itaque prodigio, suspecta quidem res erat viris nobilioribus & in conjecturis sagacis- simis, verum humilis & obscura multitudo haud secus erat animata, quam qualem Jovem ferunt fabulæ flentem Sarpedonis exequias. Pavor enim & tu- multus erat, nec domi tantum ululatus cantusque dissonos continebant, sed proximos quosq; Ducatus, Schlesvvicensem maximè, Meckleburgensem, Lüneburgensem, maritimas etiam urbes, Lubecam & Hamburgum, querelis suis concitabant. Ita quidem ut vir longe celeberrimus Simon Pauli, Medicinæ Doctor, & AUGUSTISSIMI REGIS CHRISTIANI QVINTI Medicus, cui à Regia Majestate cura relationum pu- blicarum commissa erat, fallacem famam & familia- rium literas parum accuratè scriptas, secutus, multa falsa de portento novo perscriberet. Quibus rebus fiebat ut melior pars orbis terrarum, inprimis Ger- mania nostra, in magnos errores conjiceretur. In Holsatia autem ad ægras jam omnium mentes pro- digia accedebant cœlestia. Haderslebiæ enim, no- cte concubia, quæ Michaëlis solenne sequitur, sub- ito coorta tempestas cum magno fragore tonitruq;, non solum Cathedralis templi turrem fulmine per- cusit, sed prædium etiam, quod ad octavum fere la- pidem ab Urbe aberat, eodem momento de cœlo te- tigit.

E

tigit.



tigit. Turris plumbo erat obtecta, unde cœlestis  
flamma injecta haud facile hærebat. At prædium,  
congestâ temere ex agris materiâ exædificatum, a-  
rundine storeaq; tectum, ocysus ignem fatalem susce-  
perat; ita quidem, ut non solum ipsam domum, &  
quod proxime steterat, horreum momento consu-  
meret, sed hominem etiam in cubili semisomnem,  
infantemq; & omnia pecora hauriret. Res vel eô  
maxime admiranda, quod in iis regionibus, quæ ab  
austro discedunt ad Septemtrionem, in ipsa æstate  
rara sunt tonitrua, adeo ut fremitus magis & mur-  
mura quam vera tonitrua diceres. Gelu namque  
tam Cimbriam, quam Dania & rigentem circa Nor-  
vvegiam, immunem præstat à tonitribus & fulminû  
casu. Non secus ergo, atq; in Angliæ Regnis, ubi  
fulmina inter anni prodigia numerantur, vehemen-  
tiora tonitrua prodigii loco in Holsatia habentur.  
Non satis ergo mirari possum Olaum Magnum, qui  
ad veritatis radios adeo caligat, ut vana susurrare &  
nescio quæ portenta sibi aliisq; fingere audeat. *Ap-  
parent, inquit, in partibus Aquilonis sub sereno cœlo to-  
tis noctibus in Septembri clara atque continua fulgura.  
Vulgi tamen opinione splendor ille nocturnus oritur ex re-  
flectione infinitarum halecum, quæ continuo reflexu ac  
saltu tantum splendorem nubibus immittunt, ut coruscatio  
de cœlo cadere videatur.* Per integrum enim quinquen-  
nium, quo in Dania & proximis Regno Regionibus  
vixi vitam, murmura quidem in aëre, nunquam ve-  
ro sonora (si ea excipias quorum jam memini) au-  
divi tonitrua. Non me fallit quidem, in iis mundi  
plagis, quas sol incendit, frequentiora esse tonitrua,  
& turrem illam, quæ ad Cathedrale templum Argen-  
torati, non sine admiratione videtur, quotannis è  
cœlo tangi & subinde fœde dilacerari; At ubi ven-  
torum

Polydorus  
Virgil.



torum frigidissimi à Septemtrione spirant, & omne fere tempus hyemat, natura acquiescit, nec patitur brutis fulminibus terras exagitari. Splendor autem ille nocturnus, ex halecum inclinatione omnino oritur. Haleces quippe eandem, quam bullæ ardentes & robusti caudices vetustate putres, à natura insitam habent vim candoris scintillantis, qui in mediis tenebris ignem & fulgura vomere videtur. Interim crescebat rumor, de homuncione per provinciam divulgatus, & repens ex agris in urbem, tumultus pro nuntio erat. Multi agrestes, quorum alii Openradâ Haderslebiam migraverant, alii circa Grarup & Vandelingiam erant lignati, terribile illud monstrum se vidisse referebant. Ad me quod attinet, hospitium ea tempestate mihi erat apud *Illustrissimum & Gratosissimum Comitem de Reventlau*, Præfecturæ Haderslebiensis Præsidem, Elephantini Ordinis Equitem, Serenissimi Regis Daniæ Consiliarium & Supremum Venatorum Magistrum. Virum nobilitatis antiquæ, fide inclytum, & heroem incomparabilem, qui cum Rege, uti laboris, ita & dignitatis plerumq; habebat consortium, Virtutis tamen quam honoris antiquiore collegio. Is tunc temporis Haffniæ Regni negotia curabat, meq; Haderslebiæ unico filio & Aulæ Gubernatorem reliquerat. Ibi cum forte quadam apud Prætorem urbanum cœnarem, præsentibus multis viris honestis, de homuncione incidebat mentio. Alii rem omnem temere aspernabantur, & effuse ridebant; Alii, quidquid sit, non tamen penitus negligendum esse censebant. Inde certamine orto, Prætor negabat verbis opus & contentione; Se enim ejus rei testem omnibus esse locupletem, cui, è Fionia redeunti, monstrum illud præterita nocte, primis se intendentibus tenebris, in via Regia occurrisset.

Aufon.



set. Et primum quidem visi à se portenti strepitu  
trepidasse eqvum, atque in profundam paludem, un-  
de vix potuisset emergere, se coniecisse; Homunci-  
onem vero flexisse viam, &, ne obuius fieret, paten-  
tes campos volucris transmisisse fuga. Addebat, se  
prodigiosa & multis mirabilia in eo animadvertisse.  
Conciebat miraculo, ut fit, rei novæ hospites quos-  
cunque, & quisque pro se non mediocri desiderio o-  
stentum videndi flagrare videbatur. Postridie ejus  
diei eqvum conscendebam, &, qui eadem spe cale-  
bat, cum *Illustrissimo Comite Christiano Detlef de Re-*  
*ventlau, excelsæ indolis Juvene*, ad eum pergebam lo-  
cum, ubi homuncio Prætori occurrerat. Sed frustra  
circa saltus per integrum diem obequitabamus, ni-  
hil insoliti, nec opinato adventu usquam videntes.  
Ceterum ex meo animo non discedebat tantæ rei  
memoria. Mihi ipsi igitur iratus atq; rigidus, solus  
iterum iterumq; deserta penetrabam, & jam mariti-  
mam oram, ac pleraq; longius à mari recedentia, jam  
vallium concava & aspera montium pererrabam, in-  
domitum animal nequicquam quærens. Altum fri-  
gus erat & triste cœlum, brumaq; ipsa lentas pluvias,  
& admixtam habebat nivem. Unde vel absq; De-  
lio urinatore poteram hariolari, corpusculum illud,  
suapte natura infirmum, quod nec urbis nec ruris  
tectis utebatur, frigore iri extinctum. Erat tamen  
cur meipsum spe sustinerem, fortasse miserum ani-  
mal ad hyemis patientiam duratum, vel subterrane-  
am invenisse domum, vel DEUM calamitosæ ejus  
vitæ consultum velle. Cœpi igitur plenus animo-  
rum & meliora sperare, & confidere, me tandem  
& desiderii mei, & votorum summam consecuturum.  
Verum enim vero longe aliter eveniebat. Quippe  
homuncio noster nusquam non solum magis vide-  
batur,



batur, sed & mortis vel fugæ suæ famâ omnem Hol-  
satiam repleverat. Exacto autem integri mensis  
curriculo, REGIA MAJESTAS edicto jubebat, ut vena-  
tores Lupos in Haderslebiensi tractu persequeren-  
tur. Cui rei cum oppidani pariter atq; agrestes de-  
diti essent, & sylvas omnes ac virgulta pervagaren-  
tur, tenebris & solitudini familiarissimus hospes, se-  
dibus excitus, per anfractus montium & ignotos sal-  
tus sequentibus se eripere cogebatur. Quodam igi-  
tur die Dominico, circa tertiam vespertinam, iis in  
subsellis ubi sacerdotibus populus confitetur, in  
templo iterum apparuit. Quem cum pueri, per lu-  
xum & lasciviam currentes, animadverterent, rati  
primo spectrum adesse, pavore defixi subsistebant,  
deinde humanam cernentes figuram, magno cum  
piaculo templum profanare & infandas contumeli-  
as in miserum edere incipiebant. Sine respectu er-  
go non loci modo, sed etiam humanitatis, probra &  
lapides in advenam jactabant; faciebant tumultus,  
& lasciviens juvenus non patiebatur se pietatis à pro-  
ximis admoneri. At ille, convolante numerosâ pue-  
rorum cohorte, velut certamen detrectans, supplicis  
instar in terram fatigata membra abjiciebat, mox ve-  
ro resurgens, cum omnia telis infesta videret, sum-  
ma celeritate foras se ejiciebat. Velocitate enim pe-  
dum præstabat, ut, quamvis corporis habitus mini-  
mæ esset staturæ, citatos tamen equorum cursus pos-  
set æquare. Cum è turbulento templo in forum  
irrupisset, pueruli fugientem subsequuti, infinitaq; li-  
centia grassantes, & glebis hyeme induratis, & ster-  
core miserabile corpus conspurcabant. Effugerat  
jam insequentium furorem, & haud procul à sylvis  
aberat; cum felici quodam fato Antistes quidam,  
veteris Haderslebiæ, qui suburbanum agrum exigua  
F stipe



stipe colebat, in viæ angustis, ubi nec ad dextram  
nec ad sinistram fugæ patebat exitus, fugientem of-  
fenderet. Is tum clamore trepidantium post adve-  
nam excitus, postquam habitum formamq; advolan-  
tis intuitus esset, homuncionem esse (id quod erat)  
ratus, ex templò cursu fatigatum aggrediebatur, & su-  
dore madentem, renitentemque diu ac effuse la-  
crymantem, arripiebat. Cum in domum venissent  
& novus hospes, æternis sordibus squalidus, tutius  
vivere inciperet, suspiciebat in cœlum & ingentes e-  
debat gemitus. Ad caminum deinde accedens mœ-  
stum obtinuit silentium, & lugenti similis, humi  
confedit. Captus Antistes afflictæ misericordiâ,  
quem, velut sacrum & execrabilem, alia quotidie ex  
aliis in fata vocari videret, miserum erigere & variis  
lingvis alloqui cœpit. Sed nec metus nec spes vo-  
cem ab obstinato elicere poterat, quin potius Ba-  
ctrianorum instar, quorum vetus disciplina silenti-  
um vitæ periculo sanxit, surdum mutumq; ageret.  
Jubebat Sacerdos panem carnesq; afferri, & inediâ  
(ut putabat) fameq; maceratum lætâ cœnâ recreari.  
Verum tantum aberat, ut ille humanum cibum ap-  
peteret, ut ne micam quidem tangere, nec potum  
labiis admovere vellet. Cum à quodam adstante  
pecunia illi offerretur, accepit quidem in manum;  
ceterum velut detestatus tot scelerum materiam, pro-  
tenus abjecit atq; conculcavit pedibus. Admiran-  
dum profectò ingenium, spernens, quod alii per ignes  
ferrumq; tanto studio appetunt. Ceterum dextrâ  
manu bacillum aduncum, candidum, & Augurum li-  
tuo haud absimilem, tenebat, cujus extrema rodens  
atque abedens, nec ad circumstantes respiciebat, nec  
cum alloquentibus miscebat sermones. Sibi relictus,  
pauper & sordidus, velut meditabundus luculento  
camino



camino assidebat. Ibi cum familiarium quædam,  
à stabulis rediens, Lac colare inciperet, homulus, re-  
moto pudore, de sede profiliit, & ambabus mani-  
bus vas amplectens, flexis ter genibus, lac avidissi-  
me hausit. Post autem, ut nocte serâ quilibet cu-  
bitum discessurus erat, bonus Antistes, quieti hospi-  
tis consulturus, & molle stratum & plumeas culci-  
tras admoveri jubebat. Quibus visis, indomitum  
animal, atrabile percitum, grunnire, & deducturis  
ad lectum obstrepere incepit. Nec poterant, qui-  
bus datum negotium erat, renitentem detinere,  
quin foras se ejiceret, & contra omnium vota in  
proximum horreum, quod ad varios usus strami-  
ne repletum erat, se reciperet. Non dubitabat An-  
tistes commoda negligentem in loco illo relinque-  
re; quod omnia horrei effugia ita essent clausa, ut  
semel introgresso nusquam pateret exitus. Securus  
itaq; & nihil suspicans mali, per valvæ foramen, quod  
paulo ante ostioli ansa rupta laxaverat, admirandos  
minuti corporis motus actusq; observabat. Alter-  
nos autem foramini oculos apponens, videbat ho-  
munculum intra stramenta penitus se abdere, genua  
ori admovere, & venatici canis instar fatigata mem-  
bra rejicere. Quo viso, & ipse Pastor cubitum dis-  
cessit, craftina luce hospitem meliori apparatu ex-  
cepturus. Verum ille, ubi digressum Sacerdotem,  
& laxatas sensit custodias, confestim cœpit cunicu-  
los agere, & horrei limen suffodere. Quippe nec  
humus ægre acceptabat occultum opus, nec saxa co-  
tesq; obstabant, quæ specus interpellassent. Ab ea  
igitur parte, quæ ad Haderslebiensem versa erat la-  
cum, improbum opus orsus, ante lucem cuniculo  
largo viam sibi fecit, & ad montes nive vestitos re-  
diit. Quod cum mihi nunciatum esset, non tene-  
bam,



bam, fateor, indignationem, in tam iniquâ sorte, cum viderem, hominem incautum suâ culpa id amis-  
sisse, quod ego summo studio quæsieram. Omnem  
itaque rei invidiam in Sacerdotis negligentiam a-  
vertebam. Illum objurgare, criminari & iras dicere  
immodicum. Nec domi tantum continebam indi-  
gnationem, sed puerum etiam meum ad Pastorem  
mittebam, qui meis verbis rem indignam illi expo-  
braret. At ille veritus, ne apud communem Domi-  
num accusaretur, protenus ad me venit, & cum sa-  
tis se mihi purgasset, omnia illa retulit, quæ in præ-  
senti ego illustri huic auditorio enarravi.

Interea, cum me spes omnis, nondum tamen  
cura destituisset, post longum temporis intervallum,  
eques quidam Ripâ, oppido maritimo, adveniebat,  
qui literas mihi reddebat ad Comitem. Istum for-  
tè, tradito literarum fasciculo, congiarium à me pe-  
tebat, & quo facilius postulatum obtineret, videsne  
hunc equum, inquit, ut cæno est obductus, & pul-  
vere squalet? Non solum omnium rerum faciem in-  
trepide aspectat, & me unum tantum in sedem reci-  
pit, sed nec ad tormentorum quidem strepitus & to-  
nitrua commovetur. Verum nescio quo modo fa-  
ctum esse dicam, ut, cum hodie in quodam tramite  
diram faciem inter corylos conspiceret, præter mo-  
rem æltuare, trepidare, & ore spumas agere incipe-  
ret. Neq; enim lupatis parere, nec regi aut prensari  
volebat, sed, domitis frænis, præceps mecum in  
abruptam fossam abibat. Interrogabam extemplò,  
quamnam formam habuisset illud, quod in viâ equi-  
tanti occurrisset. Homone an dæmon fuerit, plane  
ignoro, inquit ille, ceterum è virgultis ad dextram  
viæ, foedam prospicere faciem videbam, lineamen-  
torum deformitate horrendam, cujus caput rutilan-  
te mitrâ



te mitrâ erat obtectum. Hæc taliaque vociferatus miles gloriosus, & rerum tumore & vanissimorum verborum strepitu applausus quærens abiit. At ego nihil cunctandum ratus, extemplò venatorem advocabam, cui & inviæ illæ solitudines, & quorum Eques meminisset, loca deserta probe erant perspecta. Hunc jubebam actutum ad illas sylvas, ubi famosum animal militi occurrerat, abire, & anniti, ut, si fieri posset, monstrum comprehenderet. Ceterum ille quodam quasi furiarum genere inquietatus, Equitem non solum vani sermonis auctorem habebat, sed ipse exclamans vociferabatur dicens, nolo mihi meisq; infortunium accersere; Feras namq; non diabolum (sic loquebatur Nimrodi progenies) soleo subsistere. Quicumque larvam illam umbratilem & Plutonium veneficum habere exoptat, ipse sibi capiat. Duro erat ingenio & agresti, firmissimoque pectore, adeo ut, cum dicto non audienti vincula, & carceres minitarer, ridentis etiam speciem præberet. Animadvertens itaque, nec minis ferum hominem posse flecti nec irâ domari, aliâ viâ rem aggredi cogebat. Pretium aliquod obstinato pollicebat, & quo alacriorem ad omnia redderem, hærenti adhuc & rem secum reputanti argentum offerebam. Quo viso, albis dentibus ridens, commissum negotium lætus suscipiebat, & discedens domum, paulo post, quæ proximè ad destinatum locum ducebat, viam ingrediebatur. Sed & ille parum felici successu atq; auspicio per solitudines nive pruinisq; obrutas errabat. Licet enim nec instandi parceret studio, nec minima virgulta relinqueret intacta, nequicquam tamen profugum animal quærebat, & frutice spinoso lacerabatur. Ceterum cum revertentem spes omnis deseruisset, die tertio, in quodam luco

Plaut.  
Amph.  
Act. 4. Sc.  
2.

G

itineri



itineri opposito, canis, qui dominum in venatu comitabatur, subito ingenti latratu intonabat. Cumque circumjecta nemora, quantamcunq; acceperant vocem, multiplicato sono referrent, venator aprum adesse ratus, ad cuius conspectum mœstos canis ederet ululatus, ad displodendum arma præparabat. Serpens deinde per dumeta & corylos, inter marcida quercuum folia diu speratam prædam, & prominentem animadvertit pumilionem, canis impetus solo aspectu mitigantem. Quo viso, & suopte ingenio ferox, & prospero eventu defunctus accurrit, & imbecillum corpus atque inerme, ad omnem contumeliam projectum, aggreditur. Nec resistebat invadenti anxix & sollicitæ tutelæ homuncio, bacilli sui tantum gerebat curam, & cum lora bubalina brachiis à venatore injicerentur, pallidus ac tremens per ardua & confragosa victorem sequebatur. In via triste obtinebat silentium, & quosdam tantum gemitus atque suspiria edebat. Cum ad suburbium Haderslebiense perventum esset, tanta erat omnium expectatio visendi pumilionis, ut non solum omnis sexus atque ætatis fieret concursus, sed effula tectis multitudo vadentem fere obtereret. Ruentes ergo in pavidum manu venator cohibere, & ab invadentium furore ipsum defendere cogebatur. Et jam ad Comitum aulam captivum suum deduxerat venator, cum pedisequorum unus, strepitu venientium excitatus, ad me advolaret, & gratum afferret nuncium, clamitans adest adest homunculus, adest, inquit, & in vestibulo à venatore custoditur. Non possum verbis exprimere, Auditores omnium ordinum dignissimi, quantam voluptatem quantumq; gaudium hujus adventus mihi attulerit. Excitabam ocyus de somno Comitem, & interrogabam, utrumne adduci hominem

nem



nem pasurus esset. Quin imo, inquit, admittatur  
actutum, quo tandem monstrum illud videamus.  
Admisus itaque diu multumque desideratus hospes,  
mox in limine hærebat, & haud secus quam venera-  
bundus, circumferebat oculos. Stabat velut simula-  
chrum, & conversus ad speculum aliquod, ignarus  
quid rei esset, intrare abnuebat. Sed, qui proximè  
aderat, venator tergiversantem pugno detrudebat, &  
vade, inquit, Dæmon, quid multum diuque mora-  
ris? Ingressus igitur, rectâ ad lectum, ubi cubabam,  
pergebat viâ, & mox ora oculosq; in me conjiciens,  
cum diu me contemplatus esset, familiaris instar, spei  
& fidei suæ tesferam, dextram mihi porrigebat. Haud  
nihil, fateor, ambigebam, utrumne dextram dextræ  
jungere, & fordidissimam tangere manum deberem.  
Sed vincebat animum & tergiversationem meam al-  
terius impetus & vehementia. Datâ itaq; dextrâ,  
fidem futuræ amicitiaë sanciebamus. His defunctus  
urbanitatis officiis, more solito homulus focum pe-  
tebat, & mox confidens, quem ne in fugâ quidem  
abjecerat, scipionem rodere incipiebat. Alloquebar  
tum sedentem variis lingvis, sed tenebat & ample-  
ctebatur suum silentium, & obstinatus ad tacendum,  
ne ad minas quidem reddebat vocem. Offere-  
bam nummum aureum, sed recusabat accipere.  
Curabam conchas, & quibus regiones illæ abun-  
dant, Ostrea, carnem ferinam aliasque cupedias ap-  
poni; Verum ne gustare quidem volebat. Cum  
familiarium quidam frustum lucanicæ sanguine  
farctæ homulo ostenderet, in manum quidem acci-  
piebat, verum accuratius inspiciens, velut abomina-  
tus longius à se abiciebat. Quod ad staturam & re-  
liquum corporis habitum attinet, Spithamæo Py-  
gmæo, & qui Juliae olim in deliciis fuit, Canopæ haud



ābsimilis, quatuor vel quinque dodrantes longitu-  
 dine non excedebat. Caput proportione reliqui cor-  
 poris maximum ac fere indiscretum. Frons omnis  
 nigrā lanugine tecta. Capilli, (quos lendes & foeda  
 capitis animalia ornabant) magna ex parte cani, vil-  
 lorumque instar atq; setarum horridi. Aures ma-  
 jores & pendulæ. Oculi in caput altius recedentes,  
 conditi & parvi, quos prolixa & nigricantia superci-  
 lia ita obscurabant, ut nec splendere nec lucem ja-  
 culari viderentur. Infra hos malæ cœno pilisque  
 squalentes. Simæ nares: Bucca multum patens,  
 Barba promissa, & ut Comicus ait, hircina. Den-  
 tes canini & pectinatim coeuntes. Cervix ferè ju-  
 bata, & tota pilosa. Manus validis & acutissimis  
 ungvibus armatæ. Pectus villosum, colore fuscum.  
 Mammæ ferè muliebres. Venter rugosus & luridus.  
 Crurum levis tumor, & (ut verbo dicam) totum  
 corpus aspectu horribile. Olebat præterea putidis-  
 simum cadaver, ut nemo fere ad latus ejus posset du-  
 rare. Summum capitis culmen rubra tegebat ex  
 interiore (ut videbatur) bombyce lanugo: Hume-  
 ros pectusq; \* synthesis; Perizonium xylinum & quod-  
 dam subligaculum ventrem & umbilicum. Crura  
 erant nuda; circa talos autem cutibus vitulinis, cum  
 pilo foras verso, pro calceamentis utebatur. Profectò  
 nimium vestitus æstivè, quales Cynicos Lucianus  
 refert cum baculo & perâ, ad corrigendam hominum  
 disciplinam, oberrasse, quibus, ut credo, non solebant  
 lautia deferri. Date veniam, Auditores honoratis-  
 simi, date veniam inquam, si forte bonitate & pati-  
 entiâ vestra abutor. Libet enim omnia accuratè re-  
 ferre, & dum alia semper miratu digna vel per ordi-  
 nem

\* Synthesium alii ad instar pallii fuisse tradunt, ut Lipsius: Alii tunicam fuisse osten-  
 dunt, ut Xiphilinus. Sveton. in Neron: *Plerumq; synthesium indutus,*  
*ligato circa collum sudario, prodibat in publicum.*



nem subeunt, vel subditis causis mota profiliunt, nihil eorum omittere, quæ in admirando hoc homine potui observare. Is porro sermonis usu carere, & acuto magis stridore sonare, quam explanabili voce loqui videbatur. Lineamentis exterioribus perquam erat horridus, incesu tardus, cursu velox, & tristissimi hominis exhibebat exemplum. Humi sedens, pectora obvertebat igni, nec sitim vel famem sentiens, nec sudorem emittens. Bene tamen illi cum paupertate sua conveniebat, qui, licet nihil haberet, nihil etiam desiderabat. Quidquid in eum proterve & petulanter fiebat, æquo ferebat animo, &, quæ difficilis res est humano generi, suam duntaxat innocentiam servabat. Cum jam per horæ spatium meditabundo & occupato similis ad caminum sedisset, nec usquam fere ab igne deflexisset oculos, lac amygdalinum Comiti in jentaculum afferebatur. Cujus odor cum celerius ad impransi hominis nasum pervenisset, ocyus exurgens, remota verecundiâ pateram insolens abripiebat, & Plautini Sosiæ instar, omnem hauriebat lancem, omnemque trullam. Verum non poterat venter bene institutus modicâ jusculi portione impleri. Gestu igitur nutuque significabat, & sapere palato dapes, &, qui præcepta non audit, stomachum adhuc esurire: quo spectaculo ego commotus, jubebam large lac administrari, & meliori hospitem excipi apparatu. Qui, olfaciens cibum optatum rursus afferri, mox puero conabatur obviam, &, postquam omnia avidissime absorpsisset, primum lingvâ lambebat pateram, atq; deinde repetebat sedem. Sed vix confederat, cum canis Catulus, qui inventa mihi afferre solebat, foris abreptam, mortuam attraheret cornicem. Qua conspectâ, venerabilis senex, excitus subito accurrebat,

Senec. Epist. 2.

Sen. Epist. 21.

H

&, stri-



& stridore ingenti edito, dentibus deplumare avem,  
ac vultu gestuque ostendere incipiebat, acceptissi-  
mas sibi dapes fore, si cornix veru asfaretur. Cete-  
rum nemo familiarium coqvum agere, aut cadaver  
illud foetidum assare volebat. Quod ægrè patiens  
iratus hospes, terga adstantibus obvertebat, & nescio  
quæ murmura eructabat, vanosque strepitus. Et  
jam fuscum illud corium flammaram ardore probe  
perustum erat, cum, qui per sacræ illius purpuræ su-  
taras turmatim repebant, pedes pulicesque se move-  
re & miseri cutem lacerare inciperent. Tum igitur  
tergum cicatricosum pariete fricare, & qui forte in-  
iratas manus inciderant, pediculos lanii instar in-  
pollicis ungue maclare. Non poteram diutius in-  
finitam hominis licentiam & foetorem pati, quem vi-  
debam noxia animalia passim diseminare. Quen-  
dam igitur servum jubebam sordidum animal in ali-  
am domus partem abducere, ubi & Calones & reli-  
qui pransitabant stabularii. Sed ut furens quondam  
fatis, umbris irascebatur Rex Erebi Pluto, sic & hic,  
quasi inter canem & crocodilum migraturus, nec se-  
qui ducentem, nec focum relinquere volebat; Do-  
nec vi abreptus, barbaro cum ululatu & incondito  
stridore foras se ejiceret. At cum in proximam  
aream perventum esset, improvidus servus, ulmorum  
alter Acheruns, huc atque illuc respiciens, aufugere  
patitur astutissimum animal: Quod, quia miræ per-  
nicitatis ad saltum erat, facile semet sequenti eripie-  
bat. Quippe immiscens se homuncio ille nequam  
equorum gregi, qui tum forte ad aquas ducebantur,  
priusquam fores portarum objicerentur, velut uno  
agmine erupit. Sive igitur evanuit, sive evasit, nec à  
me nec à quoquam alio amplius est visus, vel usquam  
apparuit. Res maximè mirabilis, cui similem in  
omni

Plautus  
Curcul.  
Act. 4. Sc.  
2. Pedicu-  
los vocat  
pedes.

Plaut.  
Amphit.



Omni mea vita non reperi: de qua quid sentiam pau-  
 cis expromam. Ad extremum plagæ borealis car-  
 dinem genus quoddam hominum inhabitat, agreste  
 & ferum, quibus Samojedorum nomen dixere, qui-  
 cunque dixerent. Illi ab ordinariâ hominum staturâ  
 brevitatem multum deficiunt, & pumilionum ex par-  
 te gerunt speciem. Latæ illis & lanugine horren-  
 tes sunt facies, oculi minuti, crura breviora, barbæ  
 proluxæ. Vitam civilem horrent, & nec humanos  
 mores, nec tecta magnifica curant; humilibus tan-  
 tum casis & storeâ vel arundine tectis tuguriis in vi-  
 tæ præsidium utuntur. Vestes arte laboratæ, & quæ  
 alia legibus soluta luxuria quotidie publicat, velut  
 superbix irritamenta, apud eos non videntur. Pel-  
 libus induuntur ferinis, quibus adversus hyemantis  
 boreæ frigora corpora defendunt. Nulla eos vo-  
 torum cruciat inanitas, vel exercet ambitio, & nec  
 auri nec argenti studio tenentur. Cibus quo sati-  
 antur, pisces sunt ad solis radios tosti, quos ungvibus  
 dissecare & inde panes suos conficere solent. Ex  
 lacte fruuntur potu, & nemini vel molesti vel inju-  
 rii, à voluptatum blandimentis indemnatum spiri-  
 tum procul abstrahunt. Est igitur cur mihi per-  
 svadeam, homuncionem nostrum eandem cum re-  
 liquis Samojedis & patriam & affinitatem habuisse;  
 & vel tempestate in Cimbriam esse ejectum, vel alio  
 quodam fato aut casu in eas terras fuisse delatum.  
 Quippe nec statura, nec mores, nec vestimenta, vel  
 lineamentorum qualitas, aut reliquus corporis habi-  
 tus à ceterorum Samojedorum natura & ingenio  
 quicquam abhorrebat. Subjiciat forte aliquis, di-  
 cens: Ista quidem ita sese habere possunt, sed effare,  
 quoniam modo homo nudus, egens, exul, pavens, in-  
 visus, incerti laris, per tantum temporis spatium in-

Horum de-  
 scriptione  
 vide apud  
 Hulfium  
 in navig.  
 Bor. & O-  
 learium  
 Itin. Perf.  
 lib. 3.



lib. 1. c. 1. p. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

vasta solitudine sub jove frigido durare potuerit? Quid me oneras sciscitator? Annales omnium temporum loquuntur, sæpe homines per longum annorum tractum, in desertis & ab humana consuetudine longius recedentibus locis, sine cibo vixisse. Ut multa peregrina relinquam intacta, ipsemet ego ante annos aliquot, una cum viris longe Excellentissimis, Domino ab Oberbeck & Domino Friderico de Jena, p. m. Serenissimi Electoris Brandenburgici, Domini mei Clementissimi, Legatis, puerum vidi VVarfaviæ, qui per octo annos in urforum contubernio, in sylvis & solitudine, herbarum radicibus vixerat, & omnium rerum inopiam erat perpesus. Hunc secundum ætatis annum agentem (prout fide digni referebant homines) vastæ molis ursus è matris amplexu abripuerat, & in remotas detulerat solitudines. Qui, cum primum à venatoribus caperetur, haud secus quam canis, morfu acerrimè se defenderat; Luto, quod per totam cutem diffusum & sole induratum erat, contra hyemis vim & frigora intactum corpus præstante. Oculum tamen dextrum amiserat, & lingvæ usum. Nec vero ignotum est, lupum in pago Dobbersuhl/ qui Crosnâ haud multum distat, ante triginta annos puellam abstulisse, quæ per sex menses in luporum lustris fuit servata. Non me fallit quidem, morari in quibusdam specubus subterraneis & collium cavernis, quosdam homulos, nostro, quem descripsimus, ad amussim similes. Quippe magni nominis Viri, in eis *Illustrissimus & Generosissimus Comes ac Dominus, DNQ. BURCHARDUS COMES AB ALEFELD, Augustissimi Regis Daniae Consiliarius intimus, Ordinis Eques &c. & Provincia Oldenburgensis hoc tempore Præses; Dominus, Patronus, & Mæcenas meus, sempiternis laudibus veneran-*



nerandus, qui insigni sua liberalitate studia mea adjuvit,  
sæpius, inter familiaris notitiæ colloquia, & originem  
& naturam eorum terræ filiorum est profecutus. Re-  
tulit autem, habitasse & millies visos esse, in saxoso  
quodam colle, haud procul à Melbeck, prædio illo,  
quod jam Vir Generosus Balthasar ab Alefeld pos-  
sidet, haud grandes homunculos, qui, soluto certo  
pretio, quælibet cunque vasa cuprea reparassent.  
Et durasse quidem morem hunc ad sua usq; tempo-  
ra, donec agrestium quidam, homo temulentus &  
temerarius, acceptum beneficium turpi fœneratione  
compensasset. Sic & in arce quadam, quæ inclytæ  
Rantzoviorum familiæ jam subjacet dominio, per  
quadriennium quotidie visus est homunculus, barbâ  
promissâ, qui panis micas sub mensis colligere sole-  
bat. Sed nec ea hominum generi ignota sunt, quæ  
veritas circumfert & Abaviæ Illustrissimi Comit-  
is de Rantzovv evenerunt. Cui ob merita insignia,  
pumilio subterraneus solidum obtulit aurum, ex quo  
postmodum duodecim nummi aurei confecti, qui  
etiam nunc Bretenburgi religiosissime custodiun-  
tur. Verum absit ut vel mihi vel aliis persuade-  
am, eum quem manibus pertrectavi ejusdem prosa-  
piæ & originis cum reliquis fuisse. Et hæc quidem  
vice hac dixisse sufficiat. Quod superest, Tibi,  
summe DEUS, æternas ago gratias, qui studiis no-  
stris adesse, iisque benedicere voluisti. Effice, ô mi-  
sericors Pater, ut felicissimos quotidie omnis virtu-  
tis progressus faciamus: Scientiæ (inprimis cœle-  
stis) pietatis, benignitatis, misericordiæ in proxi-  
mum, continentiæ, patientiæ & modestiæ: Donec  
ex periculosissima vitæ navigatione in portum æter-  
næ quietis perveniamus, & felicitate nullis seculo-  
rum finibus terminandâ perfruamur. Numini Tuo  
I ubique



ubique præfenti Patriæ meæ Patrem & Columnem, a-  
moris tui pignus certissimum, Serenissimum & Piissimum  
Electorem FRIDERICUM VVILHELMUM, Do-  
minum meum longè clementissimum, cum totâ Domo E-  
lectorali commendo. Adde, ô DEUS, diebus ejus dies,  
& annis annos, quo & æternitatis suæ orbem imple-  
re, & immortalî gloriâ intra mortalium fines porro  
vivere, apud TE vero, DEUM suum, cœlesti gratia  
possit florere. Sed & vobis jam gratias ago, Audi-  
tores honoratissimi, qui æquo animo adesce, præ-  
sentia vestra me dignari, & singulari attentione be-  
nevolentia vestra spem affirmare voluistis. Pergite,  
(rego quæsoq;) illum posthac gratia vestra com-  
mendatum habere, qui & commodis vestris &  
studiis inservire, & vestri amorem ad  
rogum usque conservare  
annitetur.

D I X I.



Holant 108, 8